

æternum, non per otium, sed per laborem salvos esse desiderat, post omnes beatitudines vel innumerabilia præcepta, novissime hanc conclusit parabolam, ut hic « Salvus sit, qui perseveraverit usque in finem (a). » Domum enim quam significat ædificatam supra petram, quæ nullis adversis potestatibus potuit commoveri, fidem nostram in Christo firmam ostendere voluit, quæ nullis diaboli tentationibus commovetur, sed armis spiritualibus repugnando, triumphato hoste, coronam accipere meretur. Ergo domus est sancta Ecclesia, vel fides nostra, quæ est supra Christi nomen fundata, sicut ipse Dominus ait ad beatum Petrum apostolum: « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (b). » Flumina sunt regna Gentilium, quæ fluctibus, id est, duris persecutionibus, vel pluviis, quæ sunt¹ populi gentium, vel etiam ventis, qui sunt diaboli spiritus, (hanc) evertere voluerunt, sed non potuerunt, quia fundata erat supra petram. Potius vero ipsa tempestas, illidendo confracta est, quam domus concussa.

IV. Ergo, Dilectissimi, nobis dum tempus est ædificandi, fundemus in Christo fidem nostram, et intrinsecus sanctis repleamur operibus, ut cum venerit tempestas, qui est hostis occultus, confringatur potius quam evertat. Et nunc hostis vobiscum est; intus in pectore latet, sicut Apostolus ait: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (c). » Nunc blandimentis seducit, ut decipiat fidem nostram; nunc adversis tentat propositum nostrum, si potest evertere; nunc cogitationibus malis insistit, si potest movere cur-

(a) Matth. x, 22. — (b) Id. xvi, 16. — (c) 1 Petr. v, 8.

¹ Cod. c. pessime populis, quæ est.

sum nostrum. Unde, Dilectissimi, ex nobis¹ qui in prosperis sapienter et firmiter ædificaverit, in adversis non tantum fortior, sed et laudabilior invenitur, quia « Cum » probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se (a). » Nam super arenam quæ est domus ædificata, hi sunt, qui aut dubia fide sunt, aut etiam sunt hæretici, aut falsi christiani, aut non custodientes propositum continentiae vel castitatis, et aliud sunt in occulto, aliud coram hominibus. Et quia semper fuerunt mobiles, sicut arena, cum venerit tempestas, funditus evertentur, quia stare non potuerunt, et « Fiet ruina animæ eorum magna (b) »². Unde, Dilectissimi, vigilando satis agendum et laborandum est, dummodo per Christum adversa superemus, et æterna prospera consequamur: qui vivit et regnat cum Patre Deus, in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIII.

In Die Pentecostes I.

Legitur in Cod. Cass. cvi, fol. 222, cum nomine sancti Doctoris; nihil occurrit quod dubium afferre videatur. Ponatur post Sermonem cclxxi, cum numero in die Pentecostes vi.

(a) Jac. i, 12. — (b) Matth. vii, 27.

¹ In duobus Codicibus non legitur ex, quod videtur necessario supplementum. — ² Duo male habent magnæ.

SYNOPSIS.

I. Exordium de gratia festi. II. Discipuli, sancti Spiritus gratia ebrii. III. Apostoli tribus Pueris in fornace comparati.

I. FELIX est dies hodierna, Fratres charissimi; amabilis est et grata¹, in qua a Domino Discipulis sunt impleta promissa. Rogo ergo vos in unum, dilectissimi Fratres, ut mihi orando impendatis adjutorium ad divina explicanda, quæ intendo, et veniam peto, si alicubi offendo.

II. Solemnitas enim Paschæ pervenit usque ad finem, non perdens jucunditatem, sed præparans dignitatem: ut enim fuit initium gratiæ, sic hodie finita est laus cantorum. In una enim domo collecti erant Apostoli nostri, expectantes adventum Spiritus sancti, et ecce subito fit cœlorum sonus, et a Discipulis Judæorum tollitur onus. Cum multis, inquit, verbis locuti essent Discipuli, credebantur ebrii, qui videbantur mane jejuni. Nec immerito talis de cœlo lapsus est gustus, quia vitis dictus est Christus. Sic enim ait: « Ego sum vitis, et Pater meus « agricola (a). » O vinum ebrietate sobrium, quod crapulam fidei eructabat! O vinum ex vite solemniter calcatum, sed de botryone divino confectum! Digna similitudo! quemadmodum botryo ille portabatur a stipite, ita Christus pendebat in cruce. Erant enim Discipuli, sancti Spiritus pleni; Spiritus enim sanctus, qui ipsam Virginem Mariam gravidaverat, sed non violaverat, ignis super Apostolos descenderat, sed nec capillos eorum incenderat.

III. Quod aliquando in tribus Pueris fecerat, nunc hodie Christus amplius in duodecim fecit Apostolis. Illi enim

(a) Joan. xv, 1.

¹ Vide Serm. cclxxi, n. 1, et cclxxxviii, n. 1.

tres Pueri in caminum ignis mitti potuerunt; ligati caminum introierunt, sed in flamma soluti deambulaverunt. Regem ferocissimum ad fidem converterunt: propter istorum autem miraculum Apostolorum tria millia hominum crediderunt. Sed illud, Fratres, quomodo animo occurrit meo, pro solemnitate et gaudio nullatenus vobis reticere debeo. Certe sicut majores tradiderunt, in ista fornace flamma ab ostio ejusdem fornacis quadraginta novem cubitis fundebatur, quod erat numerus quadagesimus in septem hebdomadarum mysterio dedicandus¹. Septies enim septem quadraginta novem faciunt. Ubi est ergo dies unus? Ipsum quæramus, ut compleatur numerus quinquagesimus. Intus erat, erat dies iste in camino ignis cum tribus psallentibus Pueris, et refrigerium donans roris, et flammam extinguens ardoris. Videntes autem ministri fornacis rem insolitam, dicunt regi: O rex, veni et vide. Caminus sulfure et bitumine incenditur; flamma exaltatur; corpus non ustulatur; ad hoc et numerus multiplicatur. Audiens autem rex venit cum summa alacritate, et antequam intenderet in fornace, lux ei ante radiabat in corde, dixitque amicis suis: « Nonne tres viros ligatos misimus in fornacem? » Et dixerunt regi: Vere est (a). » Et rex plenus fide ait illis: Sed ecce ego video quod vos non videtis. Ardor est nescio quis, qui est lux intus in anima mea. Amici mei esse potestis, sed in cor meum² introire non potestis. Video ego, inquit, quod vos non videtis; video rem admirandam et miram. Caminus enim, qui consueverat homines igne cremare, didicit Angelos generare. Jam finiatur amicitia vestra, quia fides est amica in anima mea. Nolo, inquit, sitis amici mei; non habeo fidem sermonibus vestris; Deum video oculis meis; visione magna repleti

(a) Dan. iii, 91.

¹ Vide Serm. cclxxviii, n. 1. — ² Cod. male in corde meo.

sunt oculi mei, quia visus **istius** quarti similis est Filio Dei. Certe, o amici mei, vos **scitis** mecum, quia tres missi sunt in caminum; quomodo **ergo** quatuor ambulant in incendio¹? Quid est hoc? ignis **in** me divinus ingreditur; amicitia vestra a me **expoliatur**, et fides amica subsequitur. Hanc fidem, Fratres, **cordibus** teneamus, ut sanctum Spiritum cum Apostolis **teneamus**.

SERMO XLIV.

In die Pentecostes II, sive de adventu Spiritus sancti.

Hic Sermo est Sermonis cLXVII Appendicis supplementum, qui S. Augustino abjudicatur a Maurinis, sed, ut videtur meae mediocritati, perperam. Nam 1º Codex noster et Florentinus habent sancti Doctoris nomen; 2º fragmentum a Maurinis citatum, cum eorum pace dixerim, nihil habet auctoris cujusdam ignobilis, imo plurimum sapit Augustinum; 3º supplementum hoc nostrum totum Augustinum representat, ut patet ex notis. Eruitur ex Cod. Cass. XII, fol. 207. Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero in die Pentecostes VII.

SYNOPSIS.

I. Comparatio Apostolorum et Puerorum in fornace. II. Apostoli linguis loquuntur; eorundem gloria. III. Montis Sina et Cœnaculi collatio. IV. Epilogus.

I. **FRATRES** dilectissimi, quadragesimum nuper diem solemniter celebravimus, **in** quo quadriformis totus lætus est

¹ Cod male in incendium.

mundus. Sed quasi denario¹ a quatuor cardinibus sacramento perfecto, vicini facti sumus coelo et Spiritui sancto, ut propter sanctificationem orientis, occidentis, aquilonis, et austri² sanctus Spiritus quinquagesimo descenderet die, linguarum coelestium rutilans ignea sanctitate; sed ipse ignis purgavit potius quam cremavit³, et super linguas refrigerio sanctificationis insedit, quia ipse flammam in camino restinxit. Novit Spiritus sanctus ignem facere amœnum, qui reddidit amœnatam rorante flamma caminum. Delectat attendere labia Apostolorum, delectat attendere etiam ora stillantia Puerorum; igneas utrobique fecit linguas, et super Apostolos, et super Pueros. Ipse est enim qui sanctificavit patres, et nobis linguas fecit loqui coelestia piscatorum⁴. Quis non stupuit ad ora Puerorum deambulantium in plateis flammaram, cum dicerent: « Benedictus » es, Domine Deus patrum nostrorum (a). » Stupuerunt attonita mirantium labia Chaldæorum et organa innocentium insolito modo cantantium. Persica pontus contremuit illos inter ignis⁵ lucentes et ludentes spatium, atque barbaricis conspectibus facientes Persas attendere, et novos hymnos audire; sicut modo delectabat convenientes ex omni sæculo nationes Apostolorum linguas attendere, omnes sua labia recognoscentes, quia Spiritus sanctus de diversis novit facere unitatem⁶. Attendebat unusquisque linguas proprias cognoscentes, et Apostolos toto sæculo concordantes.

II. Oportebat enim eos⁷, qui totis fuerant prædicaturi gentibus regnum, omnium linguas gaudere facere na-

(a) Daniel. iii, 26.

¹ Vide Serm. cclxx, n. 6. — ² Id. cclxvi, n. 6. — ³ Id. cclxix, n. 1. — ⁴ Codex male piscatores. — ⁵ Id. persica pon (sic) contremuit. Illos inter igne lucentes et ludentes spatium, quæ. — ⁶ De unitate vide omnes Sermones in Pentecoste. — ⁷ Codex male ut qui.

tionum. Una lingua loquebatur, et ab omnibus intelligebatur, et erat velut manna de cœlo, quod in una erat specie, et desiderantibus exhibebat diversum variumque sapor. Ipse enim erat, qui hoc agebat, qui suam donat omnium in unitate notitiam. Sicut enim ipse Spiritus sanctus unus est Deus, et dona multa dignatur refundere sine donorum distinctione, ita una lingua erat et omnis qui aderant cognoscebant. Delectatur visus, delectatur et sonus, quia rixare talis non novit intellectus; quasi regalia¹ diademata super frontes labiaque pinxerat piscatorum. Rex enim est qui de cœlo descendit; ideo sedit super labia eorum tanquam super thronum suum, quia in illis collocabat, id est, proprium dominatum. Istud bene novit Spiritus sanctus, qui semper est Deus in filiis et in patribus, in prophetis et in piscatoribus; in alto semper diligit requiescere.

III. In superioribus Cœnaculi invenit Apostolos, et scripsit Legem in mentibus eorum, qui in alto monte Legem in tabulis scripserat: in tabulis lapideis propter duritiam cordis Judæorum; at nunc in mentibus Apostolorum: quia ibi terror, et hic amor. Ibi scripsit Legem cum fulgore præmicante; hic instruxit Apostolicas linguas in igne refrigerante. De monte illo fugiebant populi, ne vocem Dei terribiliter loquentis audirent; hic omnes de toto sæculo nationes non fugiunt, sed conveniunt audire loquentem in organis suis Spiritum sanctum.

IV. Audistis nominatos Parthos, Medos, Indos et Persas, Cretes et Arabes, ac cæteros quos lectio Actuum Apostolorum nominavit; totus mundus ibi erat, quadragesima dies Ascensionis Domini eos congregaverat: quia decem præceptorum numerus totam auctoritatem Scrip-

¹ Col. lex male regula.

turarum complectitur in orbe terrarum. Ideo quatuor deni faciunt quadraginta, superest alius denarius, qui est vitæ æternæ denarius, ut mercedem de pignore sancti Spiritus acciperent Piscatores. Inventum est, impletum est quod promissum est. Data est denarii pretiosi decima sacramenti arrha; superest quinquaginta dierum gratia promissa, et perfecta lætitia. Conclusum est Pascha, tacet Alleluia; sed non cum mœstitia; quia pignus sancti Spiritus accepimus pretiosum: ut quotidie habeamus ipso habitante solatium, ut cum Christo vivamus, et per ipsum ad Pascha venturi temporis incolumes iterum veniamus.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLV.

De Castitate Joseph Patriarchæ.

Extrahitur ex Cod. Cas. xv, fol. 103. Manifestus est sancti Augustini stylus; nomen ejusdem in Codice præfigitur. Ponatur inter Editos ad principium Classis xi de Sanctis ante Sermonem cclxxiii.

SYNOPSIS.

I. Introductio ad Josephi historiam. II. Joseph venditur in Egyptum serviturus. III. Joseph tentatur. IV. Joseph tentationem victor repellit. V. Joseph calumnia probatur, et preparatur ad futuram exaltationem.

I. *Castitas*: Fratres, agonem hujus certaminis enarrare, in quo Joseph meruit arietem libidinis superare.

¹ Cod. male non decet.